

DISPUTATIO LOGICA
De
ARGUMENTIS DIS-
SENTANEIS;

QUAM,
Favente Deo Optimo Maximo,

Sub presidio

CLARISSIMI DOCTISSIMIQUE VIRI,
DN. M. HENRICI GUTBERLETHI, PHILOSOPHIÆ IN
illustri Schola Sigenensi Professoris ordinarii,
publicè disceptandam proponit

CASPARUS SIBELIUS Elversfeldensis Montanus.

Ad diem Martii, loco horisq; solitis.



HERBORNÆ NASSOVIORUM
Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1607.

PIO ET HONESTO VIRO,

DN. PETRO SIBELIO, patri suo in æternum debitâ obedi-
entiâ & amore pro sequendo:

Nec-Non

DN. JOHANNI ET PETRO SIBELIO, fratribus suis ger-
manis & longè charissimis:

Sicut Et

ERUDITA PIETATE POLITIS-
SIMIS JUVENIBUS,

DN. ENGELBERTO SIBELIO,
fratri suo germano,

DN. BERNHARDO BRANTIO
Vesàlio, amico & contubernali suo
suavissimo,

} *SS. Theologia & Philo-
sophia studiosissimis:*

Hæc suorum studiorum ἀετιώλεια

Debitæ gratitudinis, observantiæ, honoris
& amoris ergò

inscribit & dedicat

CASPARUS SIBELIUS
Respondens.

DE DISSENTANEIS.

THESIS I.

Sicut rerum sunt consensiones & convenientiæ: sic etiam sunt disensiones & differentiæ.

II.

Vix enim reperias duas res, quæ non aliquatenus conveniant secundum rationem aliquam communem; quam communitatem ideo instituit naturæ author, quia necesse est, omnia pendere ab uno, & omnia vicissim tendere ad unum. Vix etiam reperias duas res, quæ non aliquatenus differant: quam differentiam author naturæ ideo instituit, ne multa essent unum.

III.

Itaque quum disensionis doctrina quamplurimum in scholis Philosophorum usurpetur; commodè me facturum existimavi, si de categoria argumentorum dissentaneorum amicam & placidam συζήτησιν instituerem.

IV.

Sicut autem consentaneū definitur, quod consentit cum re quam arguit: sic dissentaneum definitur argumentum simplex, quod dissentit à re quam arguit.

V.

DisSENTIRE autem est, ob rerum discordiam & ἐπερώτητα inter se non convenire. Itaque sicut consentanea propter affirmationem valent quamplurimum ad probandum; sic dissentanea ob negationem ad refutandum sunt maximè idonea.

VI.

Licet verò omnia argumenta, quatenus argumenta, hoc est, in suâ notione secunda considerata, ac proinde ut relata, sint æquè nota; tamen si res quæ illis substernuntur, ponderemus, non omnia sunt æquè manifesta, sed solum hoc dissentaneis, tanquam specialis proprietas competit.

VII.

Est autem dissenSio alia remissior & quasi imperfectior: alia arctior & absoluta.

VIII.

Remissiora & quasi imperfectiora dissentanea uno nomine diversa dicuntur, quæ solâ ratione dissentiunt.

IX.

Dissentire ratione dicuntur, quæ non simpliciter seu reipsa subiective, sed alicujus respectu, nempe modo tractationis, vel definitione tantum differunt: hoc est, quamvis negatè de se invicem enuncientur; tamen fieri potest per naturam, ut etiam affirmativè de se invicem prædicentur, utrobique tamen rei veritate permanente.

X.

Ut plurimum autem diversa prolepticè, nempe axiomate discreto enunciantur; quæ tamen etiam simplici axiomate enunciari possunt, ut, cum dico: Ulysses non est formosus.

XI.

Licet verò Petrus Ramus diversorum doctrinam in dissimilibus in prioribus editionibus tradiderit, propter maximam quam habent inter se affinitatem; tamen usu edoctus, in posterioribus alium eumq; peculiarem locum illis tribuit.

XII.

Differunt enim hæc tribus modis: Genere, formâ, & usu. Genere, quia diversa sunt simplicia argumenta, dissimilia verò comparata.

XIII.

Formâ differunt dupliciter. 1. In dissimilibus quatuor termini esse possunt: in diversis verò duarum tantummodo rerum differentia est. 2. In diversis est unum subiectum; in dissimilibus verò duo supponuntur subiecta, quæ comparantur in dissimili seu diverso attributo, vel, ut Petrus Ramus loquitur, in diversa qualitate.

XIV.

Usu differunt: Quia dissimilium usus syllogisticus est, utpote quæ probandi vim habent: diversorum verò nequaquam. At, inquis, ex diversis concluditur in hoc syllogismo: Ulysses non fuit formosus, Ulysses fuit facundus: Ergo quidâ facundus non fuit formosus. Resp. Argumentatio procedit non è diversis, sed à speciali exemplo. Usus igitur diversorum non nisi axiomaticus est. Et quis quæso approbabit hoc enthymema: Ille est facundus; Non igitur formosus? Fieri itaque nullo modo potest, ut diversa rei dubiæ faciant fidem.

Atque

XV.

Atque hæc de disensione imperfectiori; perfectior & arctior sequitur. Est enim hic major disensionis vehementia; & est inimicitia non solum rationis, sed & ipsius rei. Hinc à quibusdam realiter distincta, realiter differentia, distincta τὸ εἶναι, distincta subj. Etis dicuntur: Uno nomine Latini vocant opposita, Græci ἀντιθετα, ἀντικείμενα.

XVI.

A Petro Ramo definiuntur, quod ratione & redissentiant, h. e. non solum differant ratione certæ alicujus attributionis, sed & reipsa, hoc est, non accidit illis per naturam aliqua consensus.

XVII.

Unde hoc proprium confectarium oppositorum statuitur, quod ea eidem, secundum idem, id est, easdē partes, ad idem, id est, eodem respectu & consideratione, & eodem tempore tribui non possint.

XVIII.

Oppositorum vis & affectio non ubique est eadem. Alia enim ita opponuntur, ut non magis uni quàm reliquis omnibus opponantur: alia verò uni tantum. In prioribus levior est oppositio; quare quæ sic opponuntur, uno nomine dicuntur disparata, quod in unam rem confundi non possint.

XIX.

Disparata sunt opposita, quorum unum multis pariter opponitur. Quamobrem par & æqualis oppositio plurium ad sola disparata pertinet. Hinc quidam disparata ἐναντία ἑμμεσα vocant, sed si vocabulum contrarium sumamus, ut Petrus Ramus sumit, contraria nunquam ἑμμεσα dici possunt.

XX.

Disparantur verò non tantum substantia cum substantia, accedens cum accidente, sed & substantia cum accidente, & viceversa. Observetur tamen, quædam accidentia in abstracto disparata esse, quæ in concreto disparata non sunt, sed diversa, ut: Formositas & facundia verè disparata sunt, sed formosus & facundus, quatenus alterutrum de subiecto negatur, diversa: Aliter autem sese habet consideratio calidi & frigidi, boni & mali, &c.

XXI.

Posito seu affirmato disparatorum uno, remouentur reliqua o-

omnia. Unum enim, est proprietas entis. Valet igitur: Panis in Cœna Domini est verus panis: Ergo non est ipsum corpus Christi; nempe si maneat in proprio sermone.

XXII.

Remoto verò uno, non est necesse poni alterum. Habent enim medium. Quòd si inductione quadam removeas omnia disparata, præter unum; valet cōsequutio à negatione istorum ad affirmationem reliqui. Breviter, Omnia extrema illa contrariantur, media verò cum extremis & inter se disparantur. Habent enim disparata contraria, licet non sint contraria; quæ omnia removenda excepto uno, ut ritè concludere possis.

XXIII.

Quoties disparata eidem subjecto attribuuntur, necesse est, ut sit impropria locutio. Hac enim ratione fit, ut appareat communis aliqua affectio, in quo convenient, ut, Herodes est vulpes: conveniunt enim in astutia.

XXIV.

Sic de disparatis: sequuntur contraria.

XXV.

Contraria sunt opposita, quorum unum uni tantum opponitur.

XXVI.

Hinc colligi potest discrimen inter disparata & contraria. In disparatis est libera, vaga, & indefinita oppositio: in contrariis verò limitata, certa, finita, & ad duas res tantum restricta.

XXVII.

Itaque memorabile & firmum est axioma illud Peripateticorum, è philosophia Platonis delibatum, *ἐν ἐνὶναντίον*, unum uni contrarium. Hic igitur est maxima disensus & acerrima.

XXVIII.

Itaque uno contrariorum extincto, vel mente saltem remoto, alterum contrarium substitui necesse est. Sunt enim pellentis naturæ, & se mutuò excludunt. Quapropter etiam eadem eorum est ars & disciplina; & juxta se posita magis elucescunt.

XXIX.

Omne verò contrarium est contrarium suo contrario per formam, & propria accidentia; quo pacto etiam contraria sibi mutuò opponuntur;

ponuntur; secundum verò communia opponi nullo modo possunt. Non enim sequitur: Calor est qualitas. Frigus igitur non est qualitas. Atque hoc etiam in disparatis locum habet, ut: Bestia est animal. Ergo, Homo non est animal, non valet, quia oppositio est secundum commune, seu iuxta generale, quod pluribus convenit.

XXX.

Contraria aut affirmantia sunt, aut negantia.

XXXI.

Affirmatio autem & negatio hinc intelligitur topica, non axiomatice.

XXXII.

Contraria affirmantia sunt, ubi utrumque est aliquid verè existens seu positivum.

XXXIII.

Contraria affirmantia sunt vel relata, vel adversa.

XXXIV.

Relata sunt contraria affirmantia, quorum alterum alteri ita opponitur, ut tamen inter ea sit & maneat mutua convenientia affectioq.

XXXV.

Quamobrem relatum & correlatum, quæ talia, simul sunt naturæ & cognitione; uno enim perfectè cognito, alterum quoque cognoscitur, & contra; adeoq; se mutuò ponunt (scilicet ratione consensionis) tam in essendo, quàm in cognoscendo, denique se mutuò definiunt. **QUA TALIA**, dicimus: quia cum relatum & correlatum sint concreta, distingui in eis debet materiale seu subiectum, à formali seu adharente ratione: respectu materialis non sunt simul naturæ, sed respectu formalis simul sunt.

XXXVI.

Affirmato verò relato, negatur correlatū (videlicet ratione disensionis:) negato relato, non continuò affirmatur correlatum. Nec enim sequitur; Tu non es pater meus. Ergo es filius meus.

XXXVII.

Hinc autem diligenter notandum est, in Relatis consensionem esse, si in duobus subiectis relatio versetur: disensionem verò, si relatum & correlatum intelligantur de uno subiecto, ut: David est pater Salomonis: David igitur non est filius Salomonis: hinc est unum subje-

ctum, nempe David, ac proinde dissenſio. Si verò conſequens hoc ſit: Ergo Salomon eſt filius Davidis, jam duo ſunt ſubjecta: quorum alterum patris, alterum filii nomine inſignitur; quapropter conſenſio eſt.

XXXVIII.

Relata alia dicuntur ſecundùm dici, alia ſecundùm eſſe.

XXXIX.

Relata ſecundùm dici ſunt, quorum reſpectus ad ſe invicem eſt contingens, ut alterum ſine altero eſſe intelligi poſſit. Sic faber & gladius, Deus & creatura.

XL.

Relata ſecundùm eſſe ſunt, quæ ſuâ naturâ ſunt verè relata. Sic pater & filius, ſignum & ſignatum, venditor & emptor. Hæc definita ſunt in theſi 34.

XLI.

Hæc relata, ſunt vel æqualia vel inæqualia.

XLII.

Æqualia ſunt, quæ eodem referuntur ad ſe nomine, & vulgò vocantur relata æquiparantiæ. Horum enim mutua officia ſunt in gradu æquali, ut: frater & frater, hoſpes & hoſpes, vicinus, amicus, cognatus, affinis, conjunx, &c.

XLIII.

Inæqualia ſunt, quorum diverſum eſt nomen. Hæc vulgò vocantur relata diſquiparantiæ: horum ſiquidem officia ſunt in gradu inæquali, ut: pater & filius, dominus & ſervus.

XLIV.

Porro in relatione conſideranda ſunt quinque: 1. Subjectum. 2. Relatum. 3. Correlatum. 4. Fundamentum. 5. Terminus.

XLV.

Subjectum eſt, quod relationi ſubſternitur.

XLVI.

Relatum eſt, quod formaliter refertur ad correlatum.

XLVII.

Correlatum eſt, quod formaliter ad ſuum relatum refertur.

XLVIII.

Hinc regula: Id à quo denominationem ſumit relatio, vocatur relatum; unde conſtat, eandem rem poſſe eſſe modò relatum, modò correlatum, diverſâ conſideratione.

XLIX. Fun-

XLIX.

Fundamentum est, in quo fundatur & incipit relatio.

L.

Terminus est velut finis, ad quem tendit & in quo desinit relatio. Itaque ille non potest manere, sublato fundamento, ut: Si relatio inter patrem & filium dicitur paternitas, pater est fundamentum: filius verò est terminus. Si verò dicitur filiatio (fas sit ita loqui,) filius est fundamentum, & pater est terminus. Ab aliis tamen hæc loquendi formulæ aliter accipiuntur. Sic Cæna Domini non potest nominari Sacramentum, nisi intentio institutoris observetur.

LI.

Adversa sunt contraria affirmantia, quæ inter se velut è regione perpetuò adversantur, h.e. unum sic oppugnat alterum, ut nunquam in gratiam redire, aut sibi mutuò conciliari possint.

LII.

Hactenus fuerunt contraria affirmantia: sequuntur negantia.

LIII.

Negantia sunt, quorum alterum ait, alterum negat idem, hoc est, ubi alterum est aliquid verè existens & definitum, seu positivum, cui in aliquo genere entium suus tribui potest locus, alterum non item. Dicunturq; negantia *συμβαδόντων*.

LIV.

Negantia sunt vel contradicentia, vel privantia.

LV.

Illa præcedunt. Est enim negatio in contradicentibus latioris ambitus, quàm in privantibus. Omnis enim privatio est negatio, at non viceversa. Et omnis habitus est affirmatio: at non omnis affirmatio habitus.

LVI.

Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum negat ubiq; indefinitè, id est, simpliciter seu absolutè, ut non necesse sit, affirmatum in subiecto inesse posse.

LVII.

Sunt, qui faciunt unam tantùm contradictionem, nempe criticam seu judiciariam, topicam nullius usus esse existimantes, cum quibus nos hactenus pro nostro captu non facere possumus, sed utramq;

axiomaticam & topicam suum habere usum arbitramur. Contradictio enim axiomatice constat ex duobus axiomatibus, ubi alterum affirmat, alterum negat idem; seu contradictio est, ut Ramus ait, quando idem axioma, vel potius ejusdem axiomatis consequens de ipsius antecedente affirmatur & negatur. Contradictio verò topica est, ubi antecedens est res finita & certa: consequens indefinita: ut homo non est non homo.

LX.

Et sanè si axiomatice contradictio datur, omnino necesse est, ut etiam detur topica; siquidem omnis propositio constat è simplicibus terminis tanquam elementis, ut: Ens non est simul non ens; Corpus expers quantitatis est non corpus. Testatur etiam experientia, propositionum infinitarum, in quibus infinita eaq; topica est negatio, in eruditis sermonibus per necessarium usum esse. Aliud enim est, cum dico: Tu repetis non tuum; aliud, Tu non repetis tuum; illic topica est negatio in consequente parte, hinc axiomatice, quia vinculum est negatum. Ita hactenus sentimus, parati rectiora docentibus cedere. Neque enim nobis tribuimus τὸ πάντῃ ὁρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν.

LXI.

Contradicentia sunt vel explicita seu directa, vel implicita seu obliqua.

LXII.

Explicita seu directa sunt, cum nota negans alteri disertè & expressè additur, ut: Hominem esse & non hominem esse, Deum esse & non Deum esse.

LXIII.

Implicita, cum omisâ negationis notâ, altera pars per alteram convertitur, ut: Esse equum vel asinum, & animal capax scientiæ corpus esse & ubique esse. Hæc contradictio in scholis philosophicis vocatur contradictio in appposito, vel in adjecto, & unâ voce velut proverbiali συδερδύλας.

LXIV.

Quæritur hinc, an idem sint: justus, injustus, & justus, non-justus? Negatur propter sequentes rationes: 1. Cum dico, Hoc ens aut est justum, aut injustum, hinc contingere potest, ut hoc ens neque justum sit, neque injustum, seu, in quod neque justitia, neque injustitia cadat; ejusmodi

jusmodi est asinus, arbor, lapis, &c. Sed quando ita profero: Hoc ens aut est justum, aut non justum, necesse est, ut alterutrum vel verum sit, vel falsum: tam latè enim non justum patet. Deinde justus non est injustus, sunt adversa; justus non est non justus, sunt contradicentia.

LXV.

Privantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subiecto, in quo affirmatum suapte naturâ inesse potest.

LXVI.

Affirmatum hîc dicitur habitus $\xi\xi$: forma scilicet aliqua, seu res positiva, quæ subiecto naturaliter inest (unde subiectum $\pi\epsilon\phi\upsilon\kappa\eta\varsigma$ est dictum:) ejusq; est ornamentum, ut: visus, auditus, integrum, notitia.

LXVII.

Negatum contrâ $\xi\xi\eta\theta\iota\varsigma$ dicitur, & est negatio habitus in subiecto apto nato eum recipere, ut, cæcitas, surditas, mutilum, ignorantia. Hæc itaque cum quodammodo non sit ens, sed entis privatio: nec alteri esse dare poterit.

LXVIII.

Habitus autem omnis est prior privatione; sicut ens non ente. Hæc enim illum præsupponit, ut: Si pecuniam amisisti, præsumitur te eam antea habuisse.

LXIX.

Quare nihil privativum & nihil negativum differunt. Nihil privativum significat absentiam habitus in subiecto, quod superest, ut: Cæcitas est amissio visus in oculo. Nihil verò negativum significat totalem abolitionem habitus cum subiecto, ut: Bucephalus jam nihil est negativè.

LXX.

Privatio est perfecta vel imperfecta.

LXXI.

Perfecta, quæ aliàs totalis dicitur, est actus & potentiæ, id est, dispositionis simul. Sic vitæ privatio est mors. Ab hac privatione ad habitum non datur per naturam regressus.

LXXII.

Imperfecta, quæ aliàs partialis vocatur, est actus seu operationis tantum, sic somnus est privatio vigiliarum, paupertas divitiarum, silentium locutionis. Ab hac privatione ad habitum datur regressus.

LXXIII.

Hinc videmus, illos gravissimè errare, qui statuunt, privationem esse ens reale. Nam; 1. Omne ens reale est positivum aliquid. Privatio autem non est positivum aliquid. 2. Nulla negatio est ens. Privatio autem est negatio. 3. Omne ens reale habet essentiam suam. Privatio autem non habet essentiam, cum non nisi per negationem sui habitus definiri possit.

LXXIV.

Atque ita adumbravimus breviter dissentaneorum categoriam; quod superest, sequentia corollaria eodem modo examinanda proponimus.

ΠΡΟΣΘΗΚΗ.

1. Utrum syllogismus sit universæ Logicæ finis? N.
2. An thema sit naturâ prius argumento? A.
3. An finis sit prima causarum? A.
4. An agere de relatis sit Logicæ? A.
5. An inter privationem & habitum detur medium? Dist.
6. An omnia privantia definiantur mentione factâ habitus? Dist.
7. An præter tres syllogismorum species sit concedenda quarta? N.

F I N I S.



ΠΡΟΣ-

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

BERNHARDI BRANTII CLIVO-
VESALIENSIS AD EGREGIUM JU-
venem D. Casparum Sibelium, contubernalem
& amicum suavissimum.

Immani veluti bello non impiger heros
Otia despectit scdulus armarapit.
Armarapit, fugat arma gravi contrarius ense,
Et clypeo in ventos tela retorquet ovals.
Tus sic & gladio Logices, sophiaq; galero
Nodos ingenio ritè resolve tuo,
Incampum prodi, projectaq; rejice tela,
Quaę, parens sperat, te didicisse, doce.
Hinc unum, inde alium, preme & opprime, nec tibi cura
Sit pereat qui, tu si modo salvus eris.
Ast animo forti, non Marte, sed, arte tuere,
Sic studii specimen dasq; probasq; tui.
Quare age & auspiciis CHRISTI rem per fice cæptam;
Hujus enim auxilio, tu citò victor eris.

EPIGRAMMA

Ad juvenem eruditione & pietate ornatum, Dn. Caspa-
rum Sibelium popularem & amicum suum, publicè de
argumentis dissentaneis disputantem.

Sic genus humanum studia in contraria fertur,
Sic huc, sic illuc, mens sua quemq; trahit.
Arma juvent a ios se vi crudelia belli,
Clangoresq; tubæ; te trahit artis amor.

Ursus persequitur prædam, ferus ardor avari
Ambit opes mundi; te trahit artis amor.
Egregias laudes, celebris præconia fama
Affectant alii; te trahit artis amor.
Sunt quos nectarei spumantia pocula vini
Exhaurire juvat; te trahit artis amor.
Te trahit artis amor, clarorum scripta virorum
Assiduâ volvis nocte dieq; manu.
Id Logica satius themata hæc præsentia monstrant,
Quæ tradis facili perspicienda modo.
Gnaviter inceptis studiis insistere pergas,
Mutari mentem nec patiare tuam.
Sic tua perpetuò post mortem fama vigeat,
Et vivet studiis gloria parta tuis.

Johannes Heimbach Montanus,
Philosophiæ studiosus.

ALIUD AD EUNDEM.

Quid juvat ingentes hominem corradere gazas?
Quid, si letus ager quem fertilitate bearit,
Et tamen arcanis claudat data dona latebris,
Concumulasse juvat? tantam nisi commoda messem
Commendent: fructus quos cepit habebit inanes:
Non secus ingenuas qui gnaviter imbibit artes,
Egregiosq; capit sibi cognitionis acervos,
Laudis habet verum studii virtute favorem.
Sed tamen incepti si deniq; langueat ardor,
Fervida si tandem discentis gratia cesset:
Corruit ingenium scabrâ rubigine lesum,
It labor in ventos, & spes abit omnis inanis.
Sinceris igitur procedere gressibus insta,

Dum

*Dum primis, Caspare, petis sublimia lectis,
Et renovas tenerum cautus rationis acumen.
Tu genuina studes Logica dare nomina rebus,
Et concepta tuum vitæ convertis in usum,
Tu non ancipiti deduces prælia Marte.
Audentes res læta juvat: tentasse quid obstat:
Nam sunt armatis aptata potentia lumbis,
Arma tuos ferient sine sanguine fortiter hostes.
Sic didicisse decet, sic te certasse decebit:
Talis habet talem labor hic, me iudice, fructum.*

Amoris ergo faciebat Theodorus
Weingius Unnenſis Weſtphalus.

F I N I S.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and appears to be a list or inventory of items, possibly related to a library or collection. The handwriting is in a cursive script, typical of the 17th or 18th century.



DEF
DISTR
ITEM


CLARI
VOL. D.
Lithograph
S. G.

OCTO
JANUARY
1711

FEB
Lithograph

Faint text on the right edge of the page, likely from the adjacent page or a marginal note.

27.
 28.
 29.
 30.
 31.
 32.
 33.
 34.
 35.
 36.
 37.
 38.
 39.
 40.
 41.
 42.
 43.
 44.
 45.
 46.
 47.
 48.
 49.
 50.
 51.
 52.
 53.
 54.
 55.
 56.
 57.
 58.
 59.
 60.
 61.
 62.
 63.
 64.
 65.
 66.
 67.
 68.
 69.
 70.
 71.
 72.
 73.
 74.
 75.
 76.
 77.
 78.
 79.
 80.
 81.
 82.
 83.
 84.
 85.
 86.
 87.
 88.
 89.
 90.
 91.
 92.
 93.
 94.
 95.
 96.
 97.
 98.
 99.
 100.



Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

Scanning: Scan Reference Chart TE263

490

Scanning Scan Reference Chart TE263 Serial No.